



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

VII. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Wilibaldus sacrâ cognatione felix, Patrem S. Richardum, Fratrem S. Wanebaldum, Sororem S. Walburgam, Avunculum S. Bonifacium habuit, ille adhuc triennis parvulus æger à Parentibus Regibus Deiparæ oblatum, ut ei se totum consecraret. Religionem ingressus, secum eodem Parentem suum Regno abdicato adduxit. *Nad.* Hæc vera est in Parentem pietas, dum eum cœlo gignimus.

S. Wilibalde cum sancta generatione tua orate pro me Deiparam, ut memor fragilitatis & miseræ meæ in fine vitæ me non derelinquat, sed quod multis peccatoribus etiam prodigiosè præstitit, in peccato mortali & disgratia DEI ex hoc sæculo discedere non permittat. O Sanctissima &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Dicam 10. Pater & Ave in memoriam decem Virtutum B. V. in visitatione exercitarum: 1. Humilitatis, 2. Zeli animarum, 3. Charitatis proximi, 4. Constantiæ, 5. Pietatis, 6. Gratiitudinis, 7. Misericordiæ, 8. Mortificationis, 9. Orationis, 10. Patientiæ.

MARIA suo assensu, quem dedit Angelo, Angelis omnibus exultationem præbuit, captivo sæculo opem dedit, dæmones universos exterruit. *D. Laur. Justin. ser. de Annunt.*

Quæstio: Quomodo mutus Zacharias Deiparæ sensus suos aperuerit, dum hæc in ejus domo commoraretur?